

cultates, imo, ut ipse Philosophus, loc. cit. explicatam rem dat πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομισματι μετρεῖται, quorum aestimationem nummus metitur. Cui Seneca Lib 1. de Benefic. Cap II. adstipulatur: Alium, inquit re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium præceptis salutaribus adjuva. Huic adde Augustinum de Disciplina Christiana Cap. I. ita scribentem: Totum quicquid homines possident in terra, omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur. Servus sit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia est; itemque Ictos secundum legem 222. tit. de verb. signif. quæ ita habet: Pecuniæ nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam iura continentur. Harumque omnium non simplex & mera possessio, sed verus usus huc proprie pertinet, cum κτήματα non magni facienda sint, nisi incipiant esse χρήματα, quæ ἀπὸ τῆς χρήσεως, hoc est ab usu nomen traxerunt. Venuste hanc insententiam canit Cornelius Gallus:

Quid mihi divitiæ? quarum si dempseris usum,
 Quamvis largus opum, semper egenus ero.
 Imo etiam pæna est partis incumbere rebus,
 Quas cum possideas est violare nefas.

Quæ etiam causa est, quamobrem divitiæ, quatenus per eas virtus exercetur, instrumentum liberalitatis vocantur, quod secundum animum possidentis, eoque utentis non secus ac telum sive gladius diffidet & variat. Aurum enim in

Quid
per ea
intelligatur?

Horum
non
simplex
& me-
ra pos-
sessio,
sed ve-
rus u-
sus huc
proprie
perti-
net.

Divitiæ
sunt
instru-
mentū
libera-
litis.

in